

JOSEPH. BRÜSZTLE

RECENSIO

4.

RECENSIO

UNIVERSI CLERI DIOECESIS

QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTAE CUM EXITU SE-
CULI 17-MI TIRANNIDIS TURCICAE, RESTITUTAE-
QUE IN HIS PARTIBUS TRANQUILLITATIS, USQUE
AD PRAESENS TEMPUS, COMMENTARIIS HISTORI-
CIS ILLUSTRATA,

PER

Josephum Brüstle,

PAROCHUM OLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUEECCLESIENSI.

Tomus IV.



QUINQUE-ECCLESIS,

TYPIS ANDREAE MADARÁSZ (SIGISMUNDI SIMON)

1880.

CXLVIII.

Parochia Szakadáth.

(Comitat Tolna.)

1358.

Praeter germanicam possessionem Szakadáth, pure catholicam complectitur haec parochia adhuc loca acatholicorum: Gyönk, Kalaznó, Kis-Tormás, Szárazd, Varsád et aliquot praedia. In horum quibusdam exstitit jam seculo 14. plebania, et quidem: 1333. *Egidius sacerdos de Sarus* (Szározd); 1334. *Nicolaus sacerdos de Zakadak*; *Petrus de Kasolvo* (Kalaznó); *Egidius de Kurimas*, (Tormás); — 1335. *Sacerd. de Zachadach*; *Petrus de Kasosno*; *Egidius de Gurimas*.

Exstant nobis alia cumprimis de Szakadáth et Varsád sonantia antiquitatis documenta, quorum hic paucis mentionem facere juvabit, utpote:

Anno 1291. Nicolaus praepositus, et capitulum Quinqueecclesiense testimoniales elargitur de terra *Szakadáth* in cottu Tolnensi, contra concambii stipulationem alteri vendita, et sententia coarbitrorum revindicata. In hoc scripto legitur inter alia: Praenominati Comes Ladislaus et Nicolaus (de Zakadath) ex-

hibuerunt nobis privilegium Capituli Albensis antiquum, in quo fuit liquide repertum, quod Johannes et Ladislaus, filii Abraham, quandam terram suam nomine Byka cum Ecclesia Beati Michaelis constructa in eadem, statuissent Suur Comiti in perpetuum possidendam; e contra idem Comes Suur terram suam nomine *Zakadath* cum ecclesia *Beati Nicolai* mutua vice statuisset eisdem Ivan et Ladislao similiter in perpetuum possidendam. etc.^{a)}

1305. Capitulum Quinqueecclesiense testatur divisionem possessionum inter comitem Ladislaum et Petrum, filios Comitis Ladislai, nobiles de *Zakadath* peractam esse. Hic nominantur sequentes possessiones: Zakadath, Gerenás, Kezeo, Bika, Barbuch, Taba, Geosztkle, Vok Saagh, et portiones possessionariae in Berény, et terris Varsád et Berencz.^{b)}

1345. Comitatus Tolnensis Sigismundo regi scribit de actu potentiario, a Joanne filio Jacobi de *Zakadath* et familiaribus suis, in possessionibus Archa et Fyr vocatis, ad conventum Cruciferorum spectantibus, patrato.^{c)}

1343. Capitulum Budense significat Ludovico regi: quod pro magistro Tötös de Bechey contra nobilem puellam Bagatha vocatam, et Dominicum de *Worsad* (Varsád) in eadem *Worsad* in comitatu Tolnensi, citatoriae ad quindenae feriae quartae proximae post festum exaltationis S. Crucis peractae sint.^{d)}

Eodem anno comes Paulus iudex curiae regiae committit capitulo Albensi, ut mittat suum hominem, qui magistrum Tötös in possessionarias partes in

a) Fejér, VII. 5. 495.

b) Idem, VIII. 1. 180. — c) Idem, X. 7., 730.

d) Zichy-cod. II. n. 58.

Varsád cottu Tolnensi adquisitas legitime introducat et statutionem perficiat.^{e)}

1344. Capitulum Albense inquisitorias scribit de actu potentiario in *Varsád* patrato, dum possessio pro magistro Tötös statui debuisset; ubi inter alia haec leguntur: Dominicus filius Corardi de *vorsád*, et andreas filius Mouka de eadem, cum ad se pertinentibus super ipsum (mag. Tötös) et hominem nostrum ac Nicolaum filium Michaelis, procuratorem predicti magistri Thetus irruendo, litteras uestre excellencie generales, et alias, super eadem possessione, pro magistro Thetus, emanatas, cum alys litterys sepredicti magistri Thetus, ac eciam Nicolai procuratoris sepefati magistri Thetus violenter abstulissent, de manibus Nicolai filij Michaelis annotati, expellendo eosdem de eadem hostiliter, et eosdem interimere uoluissent, nec (fors: ni) fuge presidio manus eorum euasissent.^{f)}

Eodem anno rex Ludovicus memoriales emanare facit pro magistro Tötös contra Dominicum filium Corradi de *Varsád*, super extraditione possessionariarum portionum in eadem *Varsád* habitatarum, per Nicolaum Byssenum eidem magistro Tötös venditarum, coram homine capituli ecclesiae Albensis in octavis festi beati Georgii martyris fienda.^{g)} Idem capitulum rescribit regi super obmissione reambulationis et aestimationis possessionis *Varsád* pro magistro Tötös contra Demetrium, Marcum et Ladislaum, filios Corradi de eadem *Varsád*.^{h)} Demum a. 1345. capitulum idem significat divisionem possessionariarum portionum in *Varsád* pro magistro Tötös contra Dominicum filium Corradi de eadem factam esse.ⁱ⁾

e) Ibid. 63. — f) Ibid. 66. — g) Ibid. 77.
h) ibid. 94. — i) ib. 106.

Anno 1561. inter pagos ad arcem solventium occurrunt:

Zakadaat, olim Joannis et Francisci Morgay et Joannis Giony, nunc Francisci Zewld. Fabianus Bertalan Judex fassus est Sessiones 20. Inquilinum 1. Decimas soluerunt. Numerum ignorat. Dicam Regiam de portis 3. Anno 59. cum addicione 20. denar. facit flor. 3. d. 60.

Gieng, olim Sigismundi Arthanhazy, nunc Francisci Zewld. Stephanus Harangy Judex fassus ibidem contineri sessiones 24. quorum censum et decimam Dominio eorum administraverunt. Dicam Regiam soluerunt de portis 6, cum addicione 20. den. facit flor. 7. d. 20.^{k)}

Visitor anni 1722. haec refert: „Visitatae sunt parochiae in possessione Gyönk lutherana et calvinistica, viduae Judithae Sándor, condam conthoralis Petri Magyar, praetensi episcopi Calvinistarum, ante annos sex impopulari coepta. Praedicans utriusque sectae ad adventum meum profugit; quare nec ipsa visitatio peragi ordine suo potuit. — Animae confessionis Augustanae sunt 19. (hodie sunt circ. 1358.) hi utpote Lutherani gloriantur, quod licet exigui sint, attamen primi Praedicantem suum lutheranum in hunc comitatum induxerint.“ Calvinistae erant eotum in Gyönk 50. (hod. circ. 1286.) Porro prosequitur visitor: „Visitatus est rectoratus ex parte catholicorum in possessione Nagy-Varságy (*Varsád*) Perillust. ac Generosi Dni Stephani Székelyi, confessione Calvinistae. Et quidem primo ludimagister, qui inquilinum agit apud modernum seniore pagi judi-

k) Koller VI.

cem Michaellem Nagy, in cuius utpote iudicis domo preces orthodoxorum peragi solent. Situata est attamen supra pagum in colliculo versus septentrionem ab antiquis catholicis ex coemento et muro erecta ecclesia, longitudine passuum 17. latitudine 6. cuius sanctuarium integre dejectum, parietes navis templi una cum arca sanctuarii et frontispicio fere integri, et facile reparabiles. Ad hanc desolatam ecclesiam mixtim tam catholici quam lutherani ac etiam calvinistae, sine omni discrimine inhumantur. Quare impositum est, ut servata sepultura ad ecclesiam pro catholicis, lutherani et calvinistae alium locum pro sepultura sibi eligant. Hic bene notandum est, quod quandoquidem status catholicus expostulasset, ut liberum eidem esset, praescriptam ecclesiam catholicam pro posse suo reparare, et templi muros contegere; dominus autem terrestris id nullatenus eidem admittere voluisset; ideo ad postulata catholicorum ad dominum terrestrem exmissi sunt A. R. DD. parochi Tamásiensis et Tevelensis, ut eidem desiderium Catholicorum promoveant, expostularentque, ne in hoc salutari proposito interturbarentur, qui iisdem DD. plebanis reposuit hunc in modum: votum se fecisse adhuc militando in Italia, eandem ecclesiam pro parte hominum confessionis helveticae restaurandi, quod ipsum excelsae commissioni Pestiensi intimasset, ac etiam recenter occasione congregationis comitatus Tolnensis 25. Februar. in Tolna celebratae Rdmō D. Vicario generali insinuasset, qui ab utrinque, ut asseruit, siquidem favorabile responsum dedissent, voto suo satis facere velle, cui palam et publice per superscriptos DD. parochos, nomine visitatoris, protestatum est.

Anno 1729. quo in Szakadáth jam parochia erecta fuerat, ad quam pagus Berény quoque spectabat, dicitur in Szakadát exstitisse ecclesia in monte vicino extra pagum ad aquilonem, antiqua pietate Christianorum ex coctis tegulis, coemento coadunatis, solide structam et aedificatam, quae majori ex parte adhuc desolationem olet pristinam. In corpore sine tecto inclementiae aëris fuit exposita, cuius sanctuarium ad orientem e ruinis aliquantum exurgens, opera incolarum tabulatum ex trabibus, et stramineum aquisivit tectum. Domus parochialis eorum refertur fuisse in radice montis ad meridiem infra ecclesiam a qua distabat passibus 300. ad duas contignationes utriusque communitatis, Berényensis et Szakadátensis opera et impensis minus solide constructa, quam parochus secure incolere haud potuit, illinc maxime, ubi ventorum quateretur impulsu, coadunata fuit ex trabibus luto illitis, sub tecto stramineo, continens duo cubilia superius, et infra, post atrium inferius culina erat. Patrocinium eo tempore celebrabatur in Szakadáth festo *Assumptionis B. M. V.*

Etiam anno 1733. erat ecclesia Szakadátensis sub tutela B. M. V. Assumptae; ludimagister fuit ibi *Joannes Adamus Schneider*. Eodem tempore propositum erat: ut in Varsád catholica plebania erigatur cum filiali Kalaznó, pro Catholicis in utraque possessione sparsim habitantibus. In Varsád acatholici etiam tunc habuerunt sepulturam suam in cinctura antiquae ecclesiae catholicae; in Kalaznó vero apparuerunt eorum vestigia antiquae catholicae ecclesiae sat capacis, olim ex bonis materialibus exstructae, quae pro tunc jam usque ad fundamenta defecit, quo autem materialia abierint, nemo scivit indicare.

Anno 1755. habuerunt quidem in Szakadáth ecclesiam solidam, super antiqua rudera structam, ast tecto nonnisi arundineo provisam; patronus ecclesiae fuit (uti et hodie) *S. Nicolaus Episcopus*. Rector scholae vocabatur *Joannes Casparus Schlered*.

Parochia haec anno 1788. filialem Berény, in parochiam eluctatam, item pagum Udvari, parochiae nunc Miszlaensi insertum, amisit.

Ecclesiam in Szakadáth Michael Winkler p. t. loci parochus anno 1765. ex proprio prolongari fecit; quae 1815. per dominium restaurata exstitit; haec in longitudine $14\frac{1}{2}$. in latitudine $4\frac{1}{2}$. orgias habet. Haec ecclesia, juxta visitationis anni 1828. effata, est in monticulo collocata, a pago penitus separata extra possessionem, a domo parochiali, quae etiam elevatiori loco posita est, ad passus circ. 230. distat.

Haec ultima visitatio praeterea ista exprimit: Defunctus parochus Josephus Gruber 200. fl. v. reliquit ad erigendum in Szárazd sacellum; verum possessoribus summam augere recusantibus, e determinatione consistorii occasione visitationis 1811. institutae stabilita, ordinatur: ut e summa ad 306. fl. aucta census ludimagister Szakadáthensis percipiat, cum obligatione: ut per mensem bis ad Szárazd excurrat causa prolium in doctrina religionis instituendarum.

Jam nunc videamus, quinam pastores praefuerint paroeciae huic:

I. Andreas Szégethy, condam presbyter dioecesis *Jaurinensis*, ubi theologiam absolvit, anno 1726. ad dioecesim nostram susceptus. parochiae in *Szakadáth* restitutae illocatur, a vicario generali investitus. Visitator anni 1729. eum non optima afficit laude,

dum ita de ipso loquitur: „Curam gerit, non qualem decet, animarum, tenacissimus in observatione illius antiqui: Qui bene bibit, bene dormit; hinc evenit, ut nulla dies, sicut Apelli sine linea, ita ipsi sine amphora decurrat. Utinam non esset audire de ipso defectus alios exinde frequenter emergentes. Libros quidem aliquos possidet, quales autem fuerint, perlustrare araneorum tela ac pulveres superinsidentes copiosi vetuerunt.“ Isthinc mense Decembri 1730. translatus est ad *Sumony*.

Ab hoc tempore per 7. annos fere integros carebat haec paroecia legitimo et stabili pastore ob exiguitatem proventuum, qui anno 1733. conscripti, in toto 38. fl. et 48. den. effecerunt. Cum itaque parochus tali solutione vivere haud posset, donec melius provisum fuisset parochiae, mansit haec sine curione sacro.

II. Augustinus Antonius Marker, sacerdos extraneus, die 5. Octobr. 1737. in *Szakadáth* comparet. Sub hoc parocho anno 1739. lues pestifera grassabatur in Szakadáth, qua durante totus pagus cinctus contumaciaeque subjectus exstitit. Miser parochus non tantum propter contagiosum morbum, sed vel maxime propter persecutiones crudelis comitis generalis Merce multa pati debuit. Speciem facti ex quibusdam nonnisi fragmentis colligere licuit, quibus attamen sufficienter edocamur; habeant itaque hic locum. Epistolam sequentem Augustinus Marker ad vicarium generalem Quinque-Ecclesias direxit, sine dato, ast, uti suspicatur, initio anni 1740. scriptam: Reverendissime etc. De epidemica lue notum est, quod irratum Numen manum suam super nos extendisset,

et a 4. Junii anni praeterlapsi 1739. ego et parochiani mei oclusi fuisset; ubi Deo nobis clementer favente 14-a Decemb. eliberati sumus. Nescio quibus sinistris suis informationibus Dnus praefectus Quek Comiti a Merce me et fratrem tamquam oeconomum meum detulerat, quem et captum et ligatum, ut furem, armata manu ad Hőgyész in squalores carcerum, onustum compedibus, detrudi fecit; et quamquam causa venationis locum haberet, ast tamen investigatio contra me et fratrem oeconomum ratione venationis, minime in illa nos reos deprehendit, ut ita despotice tractaretur. Quare cum tempore contagionis omnibus destitutus alimentis exstissem, septem urnas vini mihi praenominatus Dnus Quek transmisit, ex quibus quatuor urnarum vasculum erat commodi vini, alterum vero vasculum 3. urnarum corruptum, quo uti nequivi, uti sub litt. A. attestatio demonstrat; tamen solvere, quamlibet urnam 5. fl. appetians, coactus sum ex integro 37. fl. 36. xr. uti sub lit. B. ostendo ex cancellaria dominali. Verum hoc non sufficiebat, sed uti Dnum Fogl Parochum Szávodiensem, (sic) ita et me expellere conabatur D. Generalis Merce, et 18. Febr. violenta manu per scribam et quatuor hussarones massam Ecclesiae exegit, et abire nulla admissa occasione sub muleta 100. fl. coactus.*) Tandem ex mandato Superioris Generalis Vicarii iterato redivi 24. Febr. ut satisfaciam vocationi meae, et mihi concreditis ovis inseruiam; sed pro dolor, 25-a binis vicibus abire me fecit, ubi restiti, verum 26-a de mane necdum indutus aderat venator nomine Johannes, et Judex Petrus Schlitt, jurati Joannes Schiss-

*) Tali obscuro sensu habentur hi ultimi ordines.

ler et Henricus Krömer, qui tamquam testes viderunt et audierunt protestationem meam. Cum autem praedictus venator satisfacere debuerit mandato sui principalis, sic arripendo me per manum ita violenter eduxit et ejecit usque ante januam. Proinde humillime supplico Rdissimae Dominationi Vrae, quatenus gratiose perpensa mihi illata injuria, eatenus condignam satisfactionem impendi curare dignaretur, pro qua gratia persevero etc.

Haec vix scripsit ex Szakadáth, nam ipse matriculae inseruit sequentia: „A 12. Januarii usque 20-am May 1740. non eram domi, sed in persecutione Mercey, sic absens non poteram defunctos adnotare.“

Alexander Fonyó vicarius generalis dicto comiti Merce eodem tempore scribit: „Patronus Ecclesiae ministrorum hujus protector, non persecutor esse debet. Dolenter accepi querimoniam Augustini Marker, qui posteaquam occasione contagionis ibidem erumpentis pro salute populi excubans, plurimas miserias et aerumnas corporales sustulerat, finaliter quam despotice tractatus fuerit. Non turbetur in dominio Exllae Vrae libertas et immunitas ecclesiastica“ etc.

Mox intio Aprilis 1740. eidem comiti committit: ut satisfactionem praestet praefato parochi ob injurias illatas, et perpendat verba sacrae scripturae: „Nolite tangere christos meos.“

Eodem tempore (8. April.) Fonyó episcopo alium casum potentiarium significans, haec subnectit: „Majora tentavit D. Comes Merce, qui parochum ex Szakadád ibire jussit, et minus parentem per suos mandatarios in Februario ex domo parochiali violenter extrahi jussit et abire fecit. Processus illi erectus est;

in termino autem comparens per procuratorem, nihil respondit, sed contra forum excepit. Et licet per contumaciam effecit, ut finalem recepisset sententiam, tempus tamen ei se colligendi usque ad Dom. 2. post Pascha datum cum monitoriis, intra quod, ni parti laesae satisfacere impenderit, finaliter declarabitur incurrisse excommunicationem canonicam. Iste bonus Dnus in hoc, et aliis negotiis spiritualibus non patroni, sed Eppi arrogat jurisdictionem; et quia alias plura illi dissimularunt mei praecessores, evasit pejor.“

Alexander Hrabovszky, cottus Tolnens. ord. notar. et subst. vice-comes ddo Fadd 15. April. 1740. hanc ad comitem Mercii direxit epistolam: „Peritam respectu Parochi Szakadádiensis in re sanitatis temerarie sane excedentis inquisitionem mihi Dnus Judex Nobilium necdum praesentavit, quam ubi accepero, sine mora transmittam. Notum est mihi praesumptuosum illud factum quia etiam per magistratum comitatensem idem Parochus vel ut loca infecta subintrans, et ad sana redux, serio monitus erat ad debitam clementissimae dispositionis Regiae obedientiam. Non capio, quid velit Dnus Rdmus Vicarius Glis, cum abunde sciat Parochum illum hominem esse inquietum, et nimium quantum turbulentum. Statueram ego, ut saltem in Parochia contumaciam subeat, idque Dno Praefecto Exlliae Vrae intimaveram, sed frustra; audio: semet continere nullo modo voluit. — — — Non dubito, quin alta Suae Mattis Sermae Dicasteria factum Exlliae Vrae sint propugnatura, quia processus ille nec Juri, nec aequitati, nec rerum circumstantiis accommodatus, videtur natura sua esse irritus; et credo, etiam Dnus Rdmus Glis Vicarius sibi rem bene est cordi sumpturus.“

Hae literae quoquo modo ad manus vicarii gen. venerunt, idcirco ad episcopum sub 20. Junii hanc facit relationem: „Dnus Generalis Mercii medio sui procuratoris nihil in merito respondere voluit, sed in exceptionibus laborans in contumacia convictus est, ac in duobus terminis, antequam denunciaretur, incurrisse poenam canonis, tempus duorum mensium habuit cum praemonitione, ut bona modalitate rem cum injuriato Parocho componeret, verum Dnus Alexander Hrabovszky, ejus consiliarius ac director, ad suam Mattem recursum svasit pro Mandato Inhibitorio quod etiam praedictus Dnus Comes impetravit; interim spero informationem nostram in merito causae proxime submittebam, ipsi majorem confusionem parituram. Cum autem Dnus Hrabovszky sit Persona magistratualis I. Cottus, potuisset, imo debuisset in hoc negotio se non immiscere; verum quantum ex pluribus circumstantiis adverto, plus est fautor hereticorum quam Catholicorum, de quo suo tempore plura dicere potero. Nunc autem quo animo feratur erga clerum dioecesanum, ex adjectis paribus literarum A. quas Mercio scripsit Eadem Sua Dominatio Illustrissima ac Reverendissima clare perspiciet.*)

His videtur processus ad finem deductus, nam licet sententia excommunicationis lata, non tamen fuit publicata; parochus autem Augustinus Marker paulopost ex Szakadáth migrandum habuit, illocatus parochiae *Bonyhád*.

III. Simon Kovács, studuit *Jaurini*, ubi etiam

*) His literis acclusit superiores Hrabovszkyanas.

theologiam audivit et presbyterum induit; postquam in dioecesi nostra administratorem provisorium in *Kátoly* et *Egerágh*, alibi vero cooperatorem egisset, die 10. Martii 1741. ad *Szakadáth* dirigitur parochus, die 27. Julii investitus. Hunc gregem ceu bonus et prudens pastor omni mansuetudine ac charitate, in timore Domini in 17-um annum sua cura complexus, anno 1757. calculi doloribus cruciari coepit, eapropter 21. Aug. e. a. accepit coadjutorem Joannem Inda; malo autem corporis minime levatus pastor sedulus, imo aucta in dies infirmitate ad aeterna properavit pascua die 6. Octob. e. a. diluculo matutino, dum ageret 61. annum aetatis suae, sepulturae datus in ecclesia; corpus ejus post septennium levatum, in parata sub ecclesia, cura Michaelis Winkler, crypta 1764. 7. Novembr. depositum est.

IV. Joannes Inda, qua capellanus in *Ozora* disponitur 21. August. 1757. in qualitate coadjutoris ad *Szakadáth*. Hic loci post obitum praedecessoris, mansit administrator: qua talis sub fine Aprilis 1759. mutatur ad *Gödre*. (v. i. II. 694.)

V. Michael Winkler; de quo parochiae *Gödre* et *Bonyhád* fusius narrant; hic loci succincte duntaxat sit dictum: eum ex administratore in *Gödre* 1759. promotum fuisse ad *Szakadáth* pro parochia, 12. Nov. 1761. juramento obstrictus, ubi duo explevit lustra. In *Szakadáth* ecclesiam parochialem in tantum auxit, quantum fuit antiquum aedificium huicve templo non tantum turrim adjecit, sed etiam cryptam in eo fieri curavit; majorem campanam acquisivit, et haec omnia proprio aere. Anno 1769.

a *Bonyhádensibus* provocatus et rogatus, ad illos, curam spiritualem illic continuaturus, discessit.

VI. Daniel Antonius Mitterpacher, 1745. die 4. Junii in oppido *Pécsvárad* natus, nobilem habuit parentelam, nempe patrem S. R. I. equitem Ignatium Mitterpacher, perprius in dominio *Bellye*, ex post vero bonorum abbatialium *Pécsvárad* praefectum, matrem Joannam Lentz. Studia humaniora et logicam Quinque-Ecclesiis frequentavit, eloquentiae *Tyrnaviae* operam dedit qua convictor in seminario *Mariano-Szelepcsényiano*; accepta 15. Aug. 1761. e manibus episcopi *Klimó Posonii* prima tonsura, quatuor minoribus Quinque-Ecclesiis 13. Sept. e. a. comulatur. *Romam* mox pro continuandis disciplinis missus, illic 28. Octob. e. a. pertigit, destinatus ad physicam. Qua ordinatus diaconus 20. April. 1767. ex urbe discessit, qui post se hoc laudis reliquit, quod se bene gesserit, publicam ex universa philosophia disputationem habuerit, et duplex sertum doctoris, nimirum ex philosophia et theologia reportarit.*) Sacerdotio Quinque-Ecclesiis 1768. 5. Junii ornatus in aula episcopali applicatur, verno insequentis anni tempore fidelibus in *Szakadáth* pastor datus; quod beneficium, anno 1771. ad fine properante, cum parochia *Szék* commutavit.

VII. Josephus Gruber, *Ginsii* 1741. die 5. Januar. parentibus *Georgio* et *Juditha*, primum vitae lumen aspexit; unde humanioribus imbutus *Budam* divertit pro philosophicis cognitionibus comparandis, quibus terminatis 1765. 25. Octobr. Quinque-Eccle-

*) Annal. colleg. roman.

siis clericum induit, ordinem presbyteratus 1768. die 5. Junii suscepit; primum cooperatus in *Apar*, tum ibi per breve tempus administrator, exposit in *Szakadáth* capellanus, istic pro administratore mansit, donec anno 1772. per dominum terrestrem comitem Claudium Florimundum Merci d' Argentau, caesarem Parisiis legatum pro ista parochia praesentaretur, die 21. Decemb. e. a. investitus. Sub hoc parochus in filiali Udvari nova ecclesia anno 1794. benedicta, ast ipsa filialis eodem anno neo-erectae parochiae Miszla ingremiata existit. Postquam solertissima cura sua parochiam istam per trinas decades gubernasset, sacris mysteriis rite procuratus et expiatus, ad aeternitatem demigravit 1802. 13. Martii, anno aet. 62. sepultus in crypta ecclesiae. Testamentariam hanc fecit dispositionem: Augustissimo imperatori 30. fl. Domino dioecetano, si est (sed non fuit,) 24. fl. Vicario generali 14. fl. surrogato 10. fl. ecclesiae Szakadáthensi patrono provisae 200. fl. ecclesiae Udvariensi patrono destitutae 300. fl. fundatio pro anniversariis suorum parentum, mense Februario servandis: 30. fl. — pro se quolibet semestri absolvendum unum Requiem fundatum 60. fl. in ecclesia conventuali Simontornyae mox absolvendis 4. Requiem cantatis et quorumpiam lectis 30. fl. pro erigendo in Szárasd sacello 200. fl.

VIII. Ladislaus Füleky, 1774. in Moraviae civitate *Leutomischl* originem habuit patre vigiliarum magistro regiminis Wurmseriani; postquam pueriles annos in diversis Bohemiae civitatibus transegisset, tandem Quinque-Ecclesias perlatus, hic humanioribus et philosophicis scientiis imbuitur, exposit ad semina-

rium susceptus per duos et medium annos theologiam audivit, ordinatus 1799. die 11. Maji sacerdos; cooperatoris munere in *Mucsi* per triennium fere perfunctus, paulo ante obitum prioris parochi ad *Szakadáth* in eadem qualitate venit, ubi mox a morte principalis sui, nempe 1802. 26. Mart. parochus praesentatur, 10. Junii e. a. adjuratus. Dum in hac vineae jam 40-am perageret vindemiam, ad recipiendam aeternam mercedem evocatur 1841. 3. Octobr. anno aetat. 68. sepultus in communi coemeterio.

IX. Josephus Joannes Mucsenbacher, ex *Lengyel*, ubi antea parochus erat, ad *Szakadáth* mense Octobri 1841. transpositus, hanc paroeciam per biennium curavit; 1843. lethali morbo oppressus commune omnium fatum subiit die 18. Nov. aetat. suae 48. in crypta ecclesiae tumulum nactus.

X. Carolus Hunyady, aequè per prius in *Lengyel* parochus, factus talis initio anni 1844. in *Szakadáth*; collato sibi in Martio anni 1871. munere vicearchidiaconali, hocce ornatus 1874. ad oppidum *Högyész* promovetur.

XI. Julius Wajdits, 21. Sept. 1842. *Magno-Kanizsae* vitam inchoavit, absolutis Quinque-Ecclesiis altioribus disciplinis, sacerdotio 1865. 22. Sept. decoratur, primum in *Mucsi*, tum in *Högyész* cooperatoris pensum explens, anno 1874. parochus in *Szakadáth* renuntiatur.